

Nab. 30.



Nab. 30.



ARTICVLI

DE COENA
DOMINICA, MINI-
STRIS ECCLESIARVM ET
Scholarū Marchiticarum, mandato ac
iussu Illustrissimi Principis ac Domini
D. IOANNIS GEORGII, Marchio-
nis Brandeburgensis, Electoris, etc. pro-
ponēdi, vt fide cordis, & oris confessione
eos approbent, ac maioris confir-
mationis gratia manuum
subscriptionem
addant.



FRANCOFORDIÆ AD ODERAM,
Anno M. D. LXXV.

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS

THE YETTERBROOKS

BOOKS



I. EX VERBIS COENÆ DOMINICAE.

Quæstiones affirmatiuæ.

I.

a **A**n corde credant & ore confiteantur, cœnam Dominicam esse Sacramentum noui Testamenti, aut actionē sacram à Christo institutam, in qua Christus ipse præsens in terris præbeat suum corpus præsens, non absens, non remotum, non certo loco affixum in cælo, sed verum, substantiale & naturale, & sanguinem suū verum in pane & vino sumentibus, tam dignis quàm indignis, his quidem in iudicium, illis autem in testimonium applicationis remissionis peccatorum, & ad alios salutare vsus ac fructus?

II.

b An Catholica & Orthodoxa fide verba Christi in cœnæ institutione, **HOC EST CORPUS MEVM, HIC EST SANGVIS MEVS**, κατὰ τὸ ἑστὸν, secundum genuinum & Grammaticum sensum, vt sonant, accipiant, neq; eis symbolicum, significatiuum, metonymicum, aut alium quemuis à sacramentarijs ex proprio cerebro excogitatum, affingant?

A. ij

A. ii

III.

An cum sancta vetustate, simplici fide, fundata super simplicia, clara & perspicua verba Christi in cœna, confiteantur, non aliam in sacra Synaxi communicantes, tam dignos quam indignos carnem percipere & manducare, quam quæ nata est ex Maria virgine, passa in cruce, resurrexit à mortuis, in cœlum ascendit, ac sedet ad dexteram Patris?

IIII.

An cum veteribus & recentioribus pijs Ecclesiæ Doctõribus sentiant, unionẽ panis & corporis Christi in cœna esse incomprehensibilem, ideoq; non personalem, non naturalem, neq; formalem, sed sacramentalem & supernaturalem?

V.

Atq; in hac non includi corpus Christi in panem localiter, se præsentia rationi incomprehensibili, reali ac substantiali?

VI.

In eadem non nouum corpus fingi, neq; corpus de cœlo verborum sono detrabi, sed viuum, verum, naturale ac substantiale corpus Christi in cœna præsens realiter & substantialiter statui?

VII.

Idq; sine omni imaginatione corporis distractionis, alterationis & coinquinationis in nobis, atq; sine Capernaitica laniena? Ideoq;

VIII.

Ideoq̄ & presentiam corporis Christi in cœna non esse physicam, geometricam aut mathematicam, neq̄ visibilem aut palpabilem, sed fide adorandam, & rationi incomprehensibilem?

IX.

An & hoc affirmant, in cœna non communem panem manducari, sed illum, cum quo verè & substantialiter adest & exhibetur vescantibus corpus Christi?

X.

Ideoq̄ detestentur omnes glossas & interpretationes de signo, typo, figura, symbolo de Christi corpore, quod fingitur tantum abesse à pane, quantum distat cœlum à terrâ? XI.

Rectè & verè ergo affirmari, hunc panem, quem author cœnæ corpus suum esse dicit, quem & Paulus *κοινωνία* corporis Christi vocat, etsi non amittat suam naturam, & maneat in sua substantia priori, figura & forma, non esse tamen communem panem, sed discretione & reuerentia aliqua dignum, ut veteres olim sunt locuti?

XII.

Qui etiam proterea non sigillum ac pignus sit fidei, neq̄ signum, figura, aut typus corporis Christi, sed sit ipsum corpus Christi, quod corpus sit sigillum

A ij certum

certum & firmum, confirmatio & obsignatio fidei,
& spiritualis manducationis?

XIII.

An cum Orthodoxis Patribus, & cum Luthe-
ro, alijsq; pijs Ecclesie ministris duplicem statuam
manducationem, naturalis panis & vini, & corpo-
ris & sanguinis Christi, realiter & substantialiter
verissimè præsentis, spiritualem videlicet & corpo-
ralem?

XIIII.

Spiritualem vero manducationem similiter du-
plicem esse dicant: spiritualem fidei, quæ in verè cre-
dentib; sit continua, quotidiana & omniū horarum,
imo communis veteris Testamenti Patribus: corpo-
ralem, quæ & ipsa rectè spiritualis dicatur, & tan-
tum sit propria noui Testamenti?

XV.

Hanc autem esse affirmant testificationem, pi-
gn; & obsignationē manducationis spiritualis fidei,
& coniunctam cum substantia corporis & sanguinis
Christi?

XVI.

An sentiant, cœnam institutam esse, non vt ipse
ritus vel panis & vinum, fidem in ijs, qui vtuntur
cœna, excitet, & fiat in manducatione panis recor-
datio beneficiorum Christi, sed quòd ipsa manduca-
tio in pane corporis Christi veri, verè præsentis, &

in Via

in vino sanguinis perceptio in pijs fidem confirmet
& corroboret?

XVII.

Quod recordari Christi, non sit beneficiorum in
panis & vini perceptione, meminisse, sed quòd in
manducatione panis hoc corpus manducemus, quod
pro nobis traditum est, & pependit in ligno, hunc
sanguinem bibamus, qui in ara crucis effusus est in
remissionem peccatorum?

XVIII.

An credant præsentiam corporis & sanguinis
Christi constituere solam verborum Christi in legiti-
mo usu cœnæ pronunciationem, eò quod hæc verba
non sint ministri, sed Christi, eiusdem per omnia
potentiæ, virtutis & efficaciam, vt in prima cœna?

XIX.

Ideoq; neq; fidem, neq; accedentem manducatio-
nem, sed ipsa verba Christi prolata in cœna, constitu-
ere præsens corpus & sanguinẽ Christi: fidem vero
non facere Sacramentum, sed amplecti & appre-
hendere in sacramento oblata?

XX.

Per verborum verò Christi in cœna pronuncia-
tionem non intelligi strepitum aliquem, aut sonum
verborum, more magorũ aut incantatorum editum.

Ad

XXI.

Ad verborum verò Christi pronuniationem in legitimo vsu secundum Christi institutionem, adesse Christum præsentem, cum suo corpore & sanguine in cœna, non magica consecratione panis & vini, neq; magica substantiæ mutatione, vel etiam panis & vini Transsubstantione?

XXII.

Ideoq; simul statuunt, etiam indignè & sine fide accedentes ad sacram Synaxin, hoc verum corpus Christi, præsens ad verborum Christi pronuniationem, percipere?

XXIII.

Non tamen hoc sine fide esse eis salutare: nihilominus vero nec impijs hoc Sacramentum ociosam ceremoniam seu actum: quia vt bonis in salutem, sic his cedere in iudicium & mortem?

XXIII.

Sic rectè etiam affirmari, manducationem corporalem esse communè pijs & impijs: eò quod vtriq; percipiant corpus & sanguinem Christi ore & corporaliter, etsi non corde & spiritualiter?

**II. EX ARTICVLO SYM-
BOLI DE INCARNATIONE.**

An.

I.

An ex angelica annunciatione, dicente Gabriele: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: atq; ex verbis hisce symboli Apostolici: Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine, fide firma & immota confiteantur, Dei filium assumpsisse in utero virginis, in unitatem suae diuinae naturae corpus seu carnem humanam, vnione inseparabili?

II.

Atq; sic induisse carnem nostram, vt semel assumpta maneat vnita cum assumente natura inseparabiliter in omne aeuum: hanc etiam cum diuinitate unitam, non autem extensam & diffusam esse: ideoq; in hoc corpore non querendum ordinem naturae, quod praeter naturam natum est ex virgine?

III.

Et cum in fratrum (quibus similis factus est Filius hominis per omnia) corporibus, tale quippiam non reperiatur, recte statuendum, aliam esse rationem corporis ipsius, quam nostrorum corporum: Christum enim non habere nudum corpus, aut carnem alterius cuiusdam hominis, sed carnem unitam cum diuina natura in unitate personae?

IIII.

Neg. aliàs opus fuisse alio modo quam naturali,

B

non

6
non ex virili semine, sed ex spiritu sancto concipi
Dei & virginis filium, virtute quoque altissimi ob-
umbrante: si nihil praestantius, nihil excedens com-
munem propagationem aliorum hominum, in hoc
incarnato verbo fuisset considerandum?

V.

Propter hanc ergo admirandam admirabilis
pueri conceptionem & natiuitatem, & duarum na-
turarum diuinæ & humanæ in vnam personam vni-
onem, non dari, nec demonstrari posse locum, in quo sit
vel dicatur esse filius Dei secundum diuinam natu-
ram, vt ibi non sit, vel dici debeat esse filius ho-
minis secundum humanam naturam, & ante & post
ascensionem & sessionem ad dexteram maiestatis
in excelsis. Nam sic complacitum Deo patri, dicente
Apostolo, omnem plenitudinem Deitatis habitare in
illo σωματικῶς.

VI.

Ideoque hoc corpus Christi conceptum ex spiritu
sancto, virtute altissimi obumbrante, sic formatum
esse, vt semel assumpto illo in vnitatem personæ filij
Dei, vnus idemque Christus, sicut secundum assumen-
tem, sic & secundum assumptam naturam, nullis
subiectus sit necessitatibus localitatis physicae, nec
vllis locorum terminis sit conclusus, aut locorum
angustis necessario circumscriptus?

Atque

VII.

Atq; propterea non pati ipsum adorandum mysterium incarnationis filij Dei, vt humano modo & captu, atq; phisicis imaginationibus, de verbo incarnato quis sentiat & cogitet, quod locorum mutatione nunc hîc, nunc alibi sit, & de loco in locum transferatur?

VIII.

Rectè ergo & piè omnes pios confiteri, quòd hoc admirabile corpus Christi glorificatū & gloriosum nullis locorum circumscriptionibus sit subiectum, sed inchoata inhabitatione verbi incarnati semel, Emanuelem esse, & mansurum nobiscum secundum vtramq; naturam vsq; ad consumationem seculi?

IX.

Sic itaq; Christi humanitatem semel in vnitatem persone diuinæ assumptam, in hanc gloriam & maiestatem ab ipsa incarnatione euectam esse, vt in ea non solum nō circumscribatur loco, verum etiam terram ac cœlum impleat, sed cœlesti & humane rationi inscrutabili modo?

III. EX ARTICVLO
SYMBOLI DE A-
SCENSIONE.

B ij

An

I.

An ex articulo symboli Apostolici de ascensione, & ex hisce Christi verbis: Nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit, etc. sentiant & asserant, in utroq; loco, sicut & alias saepissime in scriptura sacra, caelum, ex quo se filius hominis descendisse, & in quod ascendisse dicit, non significare caelum elementare, stellatum, primum mobile, aut etiam empyreum: & omnino fingi falsoq; doceri, inde descensum, & eò ascensum filij Dei factum esse, longis distantijs & itinerib; temporeq; longo, per sphaeras planetarum, motione physica, de loco in locum: & nunc eo in caelo post ascensionem, ipsum locatione physica conclusum, & ita ita quasi captum teneri, ut tam longè ab Ecclesia, eiusdemq; pijs mentibus absit remotus, quantum supremum caelum distet ab ima terra?

II.

Sed credant in dictis locis, sicut & in oratione Dominica, & in alijs similibus, caelum intelligendum de hoc caelo, in quo est & habitat pater filij descendentis ex ipsius sinu, & ad eundem ascendentis.

III.

Et ex hoc caelo dicere filium hominis se descendisse, & in hoc ipsum ascendisse, non in certum aliquem locum, terminis & spacijs circumscriptum, sed
in cae.



in cœlum patris sui, hoc est, ad immensam & ineffabilem gloriam Dei, ad lucem inaccessibleem, ad dexteram patris, nullis locorum angustijs conclusam aut circumscriptam?

IIII.

Ex eodem quoq; cœlo, dici in scriptura, Deum patrem descendere & in illud ascendere, cum hominibus apparet vel disparet: Sic & filium Dei ex hoc cœlo in sacris eloquijs dici descendere & ad hoc ascendere, cum apparet in carne vel disparet?

V.

Ideoq; D. Paulum, Ioannem & Petrum uti vocabulo ἐπιφανεῖν, apparere, eò quod descendere filium hominis nihil aliud sit & significet, quam apparere vel disparere?

VI.

Constare etiam ex hac Spiritus sancti Grammatica, & vocabuli descendere vel ascendere proprietate, filij hominis ascensionem in cœlum nihil aliud esse, quàm visibilem disparentiam, ac ut propriissimè loquitur Lucas Actor: 1. Subductionem per nubem ab oculis discipulorum, discessionem ex hac mortali hominum vita, transmigrationem ex visibili conuersatione hominum, euanescentiam ex oculis hominum palpabilis & visibilis huius vitæ conuersationis, ingressum in cœlum, regnum Dei patris gloriosum?

B ij Hanc

10.
VII.

Hanc itaq; ascensionem non fieri motione physica de loco in locum, quia Deus non est in loco, sicut nec filius Dei de loco in locum mouetur?

VIII.

Ac propterea sicut ante incarnationem non patitur fides catholica, vt filius Dei, nondum carne assumpta, dicatur in certo aliquo cœli loco apud patrem fuisse, atq; ex eodem loco descendisse: ita scripturam & fidem christianam non concedere, vt quisquam, nisi Nestoriana impietate fascinatus, dicat, verbum incarnatum, Emanuelem, filium hominis carne assumpta post ascensionem à cœlo capi, in hoc cœlum ascendisse, in quo locorum terminis circumscriptus, sedeat, stet aut ambulet, pro vt placuerit?

IX.

Ex hac ergo spiritus sancti Grammatica, phrasibus & modis loquēdi intelligi dicta, de descensione & ascensione, de exitu à patre & abitu ad patrem, & similia humano quidem modo ad captum humanum dicta, non humano modo de physica motione de loco in locum?

X.

Sic deniq; & adesse vel abesse huius nostri Emanuelis & verbi incarnati, non de ipsa essentia eius præsentia, sed de modo præsentia, non de locali inclusione in aliquo cœli loco, aut de locali motu & loci mutatione, intelligendum esse? EX

18
13.

III. EX ARTICULO SYMBOLI DE SESSIONE AD DEXTERAM PATRIS.

I.

An firmiter teneant verum & catholicum intellectum de dextera Dei, ad quam symbolum Apostolicum & scriptura ipsa passim filium hominis condescisse dicit, non esse sedem localem ad patris dexteram positam, in qua localiter non secus ipse filius Dei confederit, ac si iuxta poetarum figmenta Iuppiter ad dexteram suam sedentem secum habeat filium suum, quem fabulae ethnicorum Lucem esse narrant: Sed esse ipsam Dei patris potentiam, fortitudinem, potestatem, brachium, regnum & dominium in caelo & in terra, sicut scriptura ubiq; loquitur de dextera Dei?

II.

Et idcirco filium ascendisse in caelum, & condescisse ad dexteram patris, nihil aliud esse, quam ex ista corporali vita communem hominum conuersationem externam, palpabilem & visibilem deserentem, abyssu ad inaccessibleem lucem, in qua pater habitat, & ad inuisibile hominibus regnum gloriosum, in sinum patris, in quo fuit ante mundum conditum, & ante omnem localitatem physicam?

Abyssu

III.

Abiisse quoq; ad patrem filium hominis, in cœlum ascendisse, atq; ad dexteram patris consedisse, non crasso humano modo intelligendū esse, sicut Homerus de suis fabulatur Dijs: sed filiū hominis ascendendo in cœlum, non locorū mutatione, secundum essentiam seu personā, sed modo præsentiae inuisibilis mutato, evanescentia seu disparentia quadam, apud Ecclesiam suam manentē, essentiali & personali præsentia, vsq; ad consumationem seculi, occupasse potestatem in cœlo & in terra à patre sibi datam?

IIII.

Sic verò ad dexteram patris sedentem, enter, potenter & præsender dominari in cœlo & in terra: sic gloria & honore coronatū filium, ac supra omnes cœlos, supra omnem mundum, extra quem, teste Aristotele, non est locus, constitutum esse?

V.

Non itaq; filium hominis in locum corporeum (cum in hoc regno filij nullus sit locus, neq; aliqua locorum mutatio) exaltatum, sedere ad dexteram patris, excelsiorem omnibus cœlis factum, sub se omnes cœlos, omnem mundum & omnem localitatem habere, atq; omnia sibi præsentia, regere & gubernare præsentem, sub se habere omnem principatum, Dominium, potestates in cœlo & in terra, omnia in omnibus implere?

Vbi

VI.

Vbicunq; ergo sit pater cum sua virtute, omni-
potentia & omnipræsencia, ibi quoq; esse filium ho-
minis: & sicut ante incarnationem implevit omnia,
& in æquali fuit cum patre potentie & omnipræ-
sentie maiestate: ita nunc humana natura assumpta
in vnitatem personæ suæ, & in maiestate cælesti col-
locata, Christum Deum & hominem in vna persona
omnia implere, esse omnipotentem & omnipræ-
sentem?

ARTICVLI IMPRO-
BANDI.

Quæstiones negatiuæ.

I.

ca An improbent recentium Caluinistarum vanam
& impiam imaginationem physicam de necessitate
localitatis in corpore Christi, qua Christum cælo ca-
pi, & in certo loco circumscriptiuè esse oportere,
contentiosè affirmant. Physica enim & corporali lo-
catione corpus Christi in cælum sublatum, & secun-
dum humanam naturam oportere alicubi esse locali-
ter, nec posse fieri, vt in pluribus locis possit esse
contendunt?

II.

z An ex animo detestentur, super hoc impium, ha-
renosum

14.
renosum fundamentum, constructa impia & in sacram
cœnam blasphema dogmata, de elevato & se-
dente ad dexteram patris sessione locali filio hominis,
ideoq; in cœna sua non essentiali præsentiâ, sed præ-
sentiâ efficaciam in mentibus piorum præsente?

III.

An improbetur & hoc vanum commentum, ex
priori manans, corporis Christi abducti in cœlum
nullam substantialem partem sumentibus communi-
cari, nihil substantiale ex corpore Christi decidi?

IIII.

Item, quod dicta de manducatione carnis Christi
non sint intelligenda, nisi de interiori, spirituali
renouatione, non de realis carnis transfusione?

V.

Similiter & hoc, quod impudenter & menda-
citer asserunt Sacramentarij, tam veteres, quàm
recentiores, Paulum κοινωνίαν vocare communionem
cum Christo spiritualem, & præsentiâ tantum-
modò efficaciam. Non igitur in cœna cogitandum de
alligatione corporis Christi ad symbola, sed de præ-
sentiâ actionis, quæ sola salutaris sit credentibus,
quæ verè in sumptione panis & vini pijs præstet,
quæ promittit Euangelium?

VI.

An & hanc Calvinistarum impietatem agno-
scant,

scant, quæ asserunt, Sacramenta rectè dici signa seu
spectacula visibilia, aut instrumenta, per quæ filius
Dei in Ecclesia sit efficax: minimè verò signa ex-
terna & visibilia, verum corpus Christi in terris
præsens, & in cœna inuisibile exhibentia?

VII.

An & has blasphemias in sacrosanctam cœnam
voces agnoscant, quibus asserunt, non dicendum, nec
credendum, panem esse verum corpus Christi essen-
tiale & substantiale, sed externam tantum & vi-
sibilem rem, qua fiat societas inter pios & corpus
Christi. Nam sumptione sacramenti credentes socios
reddi corporis Christi, signis verò nihil substantiale
accedere de corpore Christi?

VIII.

An & hanc Calvinistarum recentium falsam ac
mendacem assertionem damnent, qua dicunt & con-
tendunt, pios accedere ad Christum fide, nec quærere
eum in elementis corporalibus panis & vini, sed sta-
tuere eum absentem & longè remotum à cœna, effi-
cacem esse in cordibus ipsorum: auertere itaq; pios
oculos corporis & aciem mentis ab elementis, & se
conuerture sursum versus ad cœlos, ibiq; corpus Chri-
sti edere & sanguinem eius bibere: nam ibi tantum
esse & reperiri corpus Christi, Sacramenta autem
seu panem & vinum tantum esse media seu organa,

C ij ad

16.
ad Christum, & eius spiritualem manducationem
communicantes perducentia?

IX.

An & hanc fraudem & fucum horum verbo-
rum deprehendant, quibus asserunt, inter nos &
ipsum non esse controuersiam, de praesentia corporis
Christi & manducatione, sed de praesentiae & man-
dicationis modo. Fateri enim eos, corpus Christi in
caena edi, & sanguinem eius bibi: dicere se ac affir-
mare in sacra caena, cum pane & vino externis sym-
bolis verum corpus & sanguinem sacramentaliter
coniuncta, porrigi ad manducandum, non ore cor-
poris, sed spiritualiter per fidem. Non autem neces-
sariam esse ad hanc communionem, quae fide fit,
essentialem, naturalem & corporalem praesentiam
corporis Christi, qua cum pane essentialiter praesens
ore corpus manducetur: Nam hunc praesentiae mo-
dum, & naturae sacramentorum, & articulis fidei,
& scripturae sacrae esse contrarium?

X.

f An iusto & pio odio vel hoc etiam nomine prose-
quantur recentiores Caluini sectatores & discipulos,
quod impietate impietati addentes, contentiose affir-
mant, corpus Christi à caena, quo ad realem praesen-
tiam quidem abesse, sed ipsam carnem & sangui-
nem Christi praesentia esse *εὐεργεσία*, seu spiritu gratia,
meritis,

17

meritis, & admirabilibus fructibus, quæ inde deri-
uentur, hæcquæ animis nostris præsentia esse per fidem
& spiritualiter?

XI.

Item, quod communicantes pij & fideles
percipiant in cæna corpus mysticum, gratiam, &
veræ naturæ virtutem, veræ carnis sacramen-
tum, corpus per gratiam, carnem spiritualem, sed
aliam ab ea, quæ nata est ex Maria virgine, & passa
in ara crucis. Verbis ergo cænae dispensari corpus
Christi & definiiri, & communicantibus præsens
fieri, fide, non omnipræsentia, aut reali præsentia?

XII.

An & in his vocibus Nestorianam impietatem
in Calvinistis agnoscant, qua impudenter asserere
audent, secundum diuinitatem Christum præsentem
esse in terris, & humanitatem, quæ in cælo est, sic su-
stentare, vt eam non deserat, nec ea aliter, quàm si in
diuinitate sibi vnita subsistat, attamen non ideo hu-
manitatem in terris præsentem esse. Non enim diui-
nitatem Verbi vbiquæ sibi habere coniunctã humanita-
tem: nequæ sequi, cui rei diuinitas essentialiter præsens
est, vt illi ei essentialiter præsens etiã sit humanitas
diuinitati coniuncta, vt scilicet diuinitas eam sistat
præsentem in omnibus locis, ad quæ ipsa quasi dif-
funditur. Nam aliud esse modum præsentia diuini-

C ij tatis,



18
tatis, quæ infinita est, alium modum præsentia hu-
mani corporis, quod finitum & circumscriptum
localiter & circumscriptivè præsens est, ubi sua
substantia præsens est. Quare nullo modo proban-
dam præsentiam corporis & sanguinis domini in
pane & vino cœnæ dominicæ?

EGO N. N. confiteor, ac veritatem in Christo
dico per spiritum sanctum, attestante mihi con-
scientia mea, imò & hac meæ manus subscriptione
confirmatum volo, me toto pectore, quæstiones
affirmativas de sacrosancta cœna Dominica, ab Il-
lustris: principe Marchione IOANNE GE-
ORGIO Electore, &c. propositas, amplecti: ac
constanti confessione & fide firmissima retentu-
rum: Negativas autem per totum curriculum
vitæ meæ, negaturum, detestaturū atq; exe-
craturum esse, Dei benignitate,
auxilio & gratia.



Jg 3586

(X221 2504)

S.

magist. Georgii artium

i/15/yr

Art.







ARTICVLI
DE COENA
DOMINICA, MINI-
STRIS ECCLESIA RV M ET
Scholarũ Marchiticarum, mandato ac
iussu Illustrissimi Principis ac Domini
D. IOANNIS GEORGII, Marchio-
nis Brandenburgensis, Electoris, etc. pro-
ponēdi, vt fide cordis, & oris confessione
eos approbent, ac maioris confir-
mationis gratia manuum
subscriptionem
addant.



FRANCOFORDIÆ AD ODERAM,
Anno M. D. LXXV.

